qͦ intelligimus in gentibus: ꝛ ſemite tue ĩ
aquis multis: qͦ intelligimus in pplis mĩ-
tis: adiũxit: Et veſtigia tua nõ agnoſcent:
Et querebant a qb nõ agnoſcerent: ꝛ ſb
iecit continuo: Deduxiſti ſicut oues plebẽ
tuam in manu Moyſi ꝛ Aaron: id eſt ab
iſta plebe tua q deducta eſt ĩ manu Moy
ſi ꝛ Aarõ: veſtigia tua ñ cogſceẽt. Quare ꝑ
poſitum ẽ: niſi increpãdi: ꝛ exꝓbrandi cã
ĩ mari ẽ via tua? Vñ in mari ẽ via tua: niſi
qꝛ excluſa ẽ a fra tua? Expulerũt xp̃m nolue
rũt eſſe ſuũ ſaluatorẽ egri: ille aũt cepit eẽ ĩ
gẽtib ꝛ in oibus gẽtibus in multis pplis:
ſaluefacte ſũt etiã relique ppli illi: remanſit
foris ingrata multitudo: ꝛ claudicans Ja-
cob femoris latitudo. Latitudo eni femo-
ris intelligit via in multitudine generis: et
facta eſt in maiore pte iſraelitarũ turba q-
dam vana ꝛ inſipiens: que nõ agnoſceret
veſtigia chriſti in aqs. Deduxiſti ſic oues
plebẽ tuã: ꝛ nõ te cognouerũt. Tanta cuꝫ
illis bõa feciſti: mare diuiſiſti: inter aquas
per arida traieciſti: perſequentes inimicoſ
fluctibus operuiſti: in deſto egẽtibus mã-
na pluiſti: deducens eos in manu Moyſi
ꝛ Aaron: ꝛ expulerũt te a ſe: vt ĩ mari eſſet
via tua: ꝛ veſtigia tua nõ agnoſcerẽt.

Explicit Tractatus de pſ. LXXVI.

Incipit Tractatus de pſ. LXXVII.

PSalmus iſte ea continet que in ve
teri pplo acta narrant: recẽtioꝛ aũt
ꝛ poſterioꝛ ppls admonet: vt caue
at ne ſit ingratus bñficijs dei: eiuſqꝫ ĩ ſe ꝓ
uocet iracũdiam: cuius obedienter ꝛ fide-
liter debent ſuſcipe gratiã. Ne fiant inqt ſi
cut patres eorũ generatio praua ꝛ amari-
cans: generatio que nõ direxit coꝛ ſuuꝫ: et
nõ eſt creditus cũ deo ſpũs eius. Hec eſt
igit pſalmi huius intentio: hec vtilitas: hic
vberrimus fructus. Sed cũ oia videant ꝑ-
ſpicua ꝛ apta dici atqꝫ narrari: ꝑmit mo-
net atqꝫ intentos facit titulus eius: Necqꝫ
eni fruſtra inſcribit. Intellect asaph:
niſi qꝛ fortaſſe nõ qͦ ſupficies ſonat: ſed in
terius aliqd intelligẽtẽ querũt iſta lectorẽ:
Deinde narraturus ꝛ cõmemoraturus hec
omnia que vident: auditore qꝫ expoſitore
potius indigere: Aperiam inqt in pabolis
os meum: eloquar ꝓpoſitiones ab initio.
Quis nõ hic de ſomno excitet? Quis au-
deat velut manifeſtas legendo pcurrere
pabolas ꝛ ꝓpoſitiones: que noibus ſuis
indicãt altius pſcrutari oportere? Parabo-
la qppe alicuius rei ſimilitudinẽ p ſe gerit: qͦ
licet ſit vocabulũ grecũ: iam tñ pro latino
vſurpat. Et notũ eſt qꝛ in pabolis q dicũt
rerũ ſilitudines reb de qb agit cõpant.
Propoſitiões aũt q grece appellant pro-
blemata qſtiones ſunt: habentes aliqd qͦ
diſputatione ſoluendũ ſit. Quis ꝑ pabo-
las ꝛ ꝓpoſitiões trãſitorie legat? Quiſ nõ
his auditis vigilantiã mentis intendat: vt
ad earũ fructum intelligẽdo pueniat?

## Expoſitio pſalmi.

ATtedite: inqt: populus me legẽ meã. Quem hic credamus loq niſi deũ? Ipe enim legeꝫ dedit pplo ſuo: quẽ liberatũ ex egypto cõgrega- Alia trãſl. populc
uit: que congregatio ꝓpe ſynagoga nũcu
patur: qͦ interptat aſaph. Utrum ꝑ ita di
ctum ẽ: intellectus aſaph: qͦ ipe aſaph in
tellexerit: an figurate intelligenduꝫ: qͦ ea-
dem ſynagoga: hͦ eſt ideꝫ ppls intellexerit:
cui dr: Attendite ppls meus legem meaꝫ.
Quid eſt ꝑ qꝛ eũdem pplm p ꝓphetam in-
crepat dicẽs: Iſrt aũt me nõ agnouit: ꝛ po
pulus me nõ intellexit? Sꝫ ꝑfecto erãt etiã
in illo pplo qui intelligerẽt habẽtes fideꝫ: q
poſtea reuelata eſt: nõ ad legis lrãm: ſꝫ ad
grãm ſpũs ptinentẽ. Non eni ſine ipa fide
fuerũt qui eius in chriſto futurã reuelatio-
nẽ: puidere: ꝛ ꝓnũciare potuerũt: cũ ꝛ illa
vetera ſacra ſignificatiũa fuerit futurorũ.
An ſoli ꝓphete habebãt hanc fidem: ꝛ nõ
ppls? Immo vo etiã qui ꝓphetas fideliter
audiebãt: eadẽ adiuuabant grã: vt intelli
gerent qͦ audiebãt. Sꝫ vtiqꝫ ſacrm regni
celorũ velabat in veteri teſtamẽto: qͦ ple-
nitudine tpis reuelaret in nouo. Nolo eni
vos (ait apls) ignorare fratres: qꝛ patres
nři oẽs ſub nube fuerũt: ꝛ oẽs mare trãſie-
runt: ꝛ oẽs p Moyſen baptizati ſunt ĩ nu-
be ꝛ in mari: ꝛ oẽs eũdem cibũ ſpũaleꝫ mã
ducauerũt: ꝛ oẽs eũdem potũ ſpũalem bi
berũt. Bibebant eni de ſpiritali ſequente
eos petra: petra autẽ erat chriſtus. Idem
itaqꝫ in myſterio cib ꝛ potus illoꝝ qui nr:
ſ ſignificatiõe idem nõ ſpecie: qꝛ idem ipe
chriſtus illi ĩ petra figurat: nob ĩ carne ma
nifeſtat. Sed nõ inqt in omib illi bñplaci
tum eſt deo. Oẽs qdẽ eundẽ cibũ ſpũaleꝫ
manducauerũt: ꝛ eũdem potũ ſpũalem bi
berũt: id eſt ſpũale aliqd ſignificantẽ: ſ nõ
in omibus illi bñplacitũ eſt deo. Cũ dicit:
nõ in oibus erãt: ꝑ ibi aliq in qb bñplaci
tuꝫ eſt deo: ꝛ cũ eſſent oia cõmunia ſacra:
nõ cõis erat oibus grã q ſacramentoꝝ vir
tus eſt: ſicut ꝛ nunc iam reuelata fide que

tunc reuelabaṫ oībꝰ in nomīe pr̄is ⁊ filij et
ſpūſſancti baptizatis: cōmune eſt lauacrū
regeneratōnis: ſed ipa gratia cuiꝰ ipa ſunt
ſacramēta: qua mēbra corpis chriſti cum
ſuo capite regenerata ſunt: nō cōmunis ē
omibus. Nam ⁊ heretici habent eūdē ba-
ptiſmū: ⁊ falſi fratres in cōmunione catho
lice nomis. Ergo ⁊ hic recte dicitur: ſed non
in oibus illis bn̄placitū eſt deo. Neqꝫ tūc
tn̄: neqꝫ nūc infructuoſa eſt vox dicēt. At
tendite ppl's meus legē meā. Que locutio
nota eſt in oībꝰ lr̄is: qȯ nō ait attēde: ſed at
tendite. Ex multis eni pplus cōſtat: quibꝰ
multis qȯ ſequiṫ pſaliter dicit. Inclina-
te aure v̄ram in v̄ba oris mei. Qȯ
eſt attendite: hoc eſt inclinate aurē veſtrā.
⁊ quod ibi ait: legem meā: hoc ait h̄ verba
oris mei. Ille nanqꝫ pie attēdit legez dei ⁊
v̄ba oris eius: cuius aurē inclinat humili-
tas: nō cuius erigit ceruicē ſupbia. Qȯ eni
infundiṫ cōcauo hūilitatis excipiṫ: eminē-
tia tumoris expelliṫ. Vn̄ alio loco. Inclia
inqt aurem tua: ⁊ excipe v̄ba intellectus.
Satis itaqꝫ admoniti ſumus etiā iſtū pſal
muz huiꝰ intellectus aſaph: qr genitiuo ca
ſu in titulo poſitū eſt huiꝰ intellectus: nō h̄
intellectus: inclinate aure ſuſcipe: id ē hu-
mili pietate: nec ipiꝰ aſaph dictū eſt: ſꝫ ipſi
aſaph: qȯ greco titulo apparꝫ: ⁊ in q̇buſdā
latinis codicibꝰ inueniṫ. Verba igiṫ iſta i-
tellectus ſunt: id eſt intelligētie ſunt: q̄ da-
ta eſt ipi aſaph: qȯ nō vni homi: ſed meliꝰ
ꝯgregationi ppl'i dei: vn̄ nequaqꝫ nos alie
nare debemꝰ. Quāuis eni ꝓprie dicaṫ ſy-
nagoga iudeoꝝ: eccl'ia v̄o chriſtianoꝝ: qr
cōgregatio magis pecoꝝ: conuocatio v̄o
magis hoīm intelligi ſolet: tn̄ ⁊ illā dictam
inuenimus eccl'am: ⁊ nob̄ fortaſſe potiꝰ cō-
uenit dicere: Salua nos dn̄e deus noſter:
⁊ cōgrega nos de gētibus: ⁊ ꝯfiteamur no
mini ſancto tuo. Neqꝫ dedigñ nos opor-
tet: imo gr̄as ineffabiles agere: qȯ ſumus
oues manuū eius: q̄s ꝓuidebat cum dice-
ret: Habeo alias oues q̄ nō ſūt ex h̄ ouili:
oportet me ⁊ ipas adducere: vt ſit vnus
grex ⁊ vnus paſtor: iungēdo ſcꝫ fidelē po-
pulū gentiū: fideli ppl'o iſraelitarū: de qui-
bus ꝓus dixerat: Non ſum miſſus niſi ad
oues q̄ ꝑierant domus iſrl'. Nam ⁊ congre
gabunṫ an̄ eū oēs gentes: ⁊ ſepabit eos ſicꝰ
paſtor oues ab hedis. Sic igiṫ audiamus
qȯ dictū eſt: Attēdite ppl's meꝰ legē meaꝫ.
Inclinate aurē v̄ram in v̄ba oris mei: Nō
tanqꝫ iudeis: ſꝫ potius ꝓ̄ qꝫ nob̄: vl' certe tā

qꝫ etiam nobis iſta dicanṫ. Cū eni dixiſſet
apl's: Sꝫ nō in oibus ill' bn̄placitū eſt deo:
ita oſtendēs fuiſſe ibi etiā illos in q̇bꝰ bene
placitū ē deo: continuo ſubiecit: Proſtra
ti eni ſunt in deſerto. Deinde adiūxit: Hec
aūt figure nr̄e facte ſunt: vt nō ſimus ꝯcu-
piſcentes mala: ſicut ⁊ illi cōcupierūt: ne-
qꝫ idol' ſuientes: ſicut q̇dē eoꝝ: ſic ſcriptū
eſt: Sedit ppl's mādùcare ⁊ bibere: ⁊ ſurre
xerūt ludere. Neqꝫ fornicemur: ſicut q̇daꝫ
eoꝝ fornicati ſunt: ⁊ ceciderūt vna die vi-
gintitria milia. Neqꝫ temptemꝰ chriſtuꝫ: ſi
cut q̇dā eoꝝ temptauerūt: ⁊ a ſerpentibꝰ ꝑ-
ierūt. Neqꝫ murmurauceritis ſicut q̇dā eo-
ruꝫ murmurauerūt: ⁊ ꝑierūt ab extermina
tore. Oīa aūt hec in figura ꝯtingebāt illiſ:
ſcripta aūt ſunt ad correctionē nr̄aꝫ in q̄s
fines ſeculoꝝ obuenit. Nobis ergo potiꝰ iſta
cantata ſunt: vn̄ in h̄ pſalmo inter cetera di-
ctum ē: vt cognoſcat generatio altera: filij
q̄ naſcenṫ ⁊ exurgēt. Porro ſi ille interitꝰ a
ſerpentibus: ⁊ ab exterminatore illa ꝑditio
⁊ gladij trucidatio figure fuerūt: ſic euidē-
ter dicit apl's: cū illa oīa ꝯtigiſſe manifeſtū
ſit: nō eni ait: in figura dicebanṫ: vl' in figu
ra ſcripta ſunt: ſed in figura inqt continge
bat ill'. Quanto maiore diligētia pietatis
cauēde ſunt pene: q̄rū figure ille fuerunt?
Proculdubio qꝑpe ſicut in bonis rebꝰ mul
to amplius boni ē in eo qȯ ꝑ figurā ſignifi
catur: qꝫ in ipa figura: ita ⁊ in malis longe
vtiqꝫ peiora ſunt q̄ ſignificanṫ figuris: cuꝫ
tāta mala ſint etiā ſignificātes figure. Naꝫ
ſicut terra illa ꝓmiſſionis quo ille ppl's du
cebaṫ in cōꝑatione regni celorum: nihil eſt
quȯ chriſtianus ppl's duciṫ: Ita ⁊ pene ille
q̄ figure fuerūt: cū tam ſint atroces in com
ꝑatione penaꝝ quas ſignificāt nihil ſunt.
Quas aūt figuras dixit aplus: eas dic iſte
pſalmus qꝫtum exiſtimare poſſumꝰ ꝑabo-
las ⁊l' ꝓpoſitiones: nō hn̄tes in eo fidez qȯ
cōtigerūt: ſed in his rebus ad q̄s rationa-
bili cōꝑatione deferunṫ. Attēdamus ergo le-
gem dei ppl's eiꝰ: ⁊ inclinemꝰ aurē noſtraꝫ
i v̄ba oris eius. Apiam: inqt: in para Alia lr̄a
bolis os meū: eloquar ꝓpoſitio- eloquar
nes ab initio. A quo initio dicat ſatis
apparet in ꝯſequentibꝰ. Non eni ex quo fa
ctum ē celū ⁊ terra: vl' ex quo creatū eſt i p̄-
mo hoīe genus humanū: ſꝫ ex quo ppl'i con
gregatio q̄ abducta ē ex egypto: vt ſenſus
ꝑtineat ad aſaph: qȯ interꝑ̄taṫ ꝯgregatio.
Sꝫ vtinā q̄ dixit: Aperiā i ꝑabol' os meū:
etiaꝫ intellectū nr̄m in eis apire dignetur.

Si enī ſicut os ſuū aperuit in ꝑabolis: ita
apiret etiā ip̄as ꝑabolas: ⁊ ſicut eloquit̃ ꝓ
poſitiões: ita eloqueret̃ ⁊ eaꝝ expoſitiões:
nō hic eſtuaremus. Nūc vo ita obtecta et
clauſa ſunt oīa: vt etiam ſi ad aliq̄d ip̄o ad
iuuāte vn̄ ſalubriter paſcamur ꝑucire poſ
ſimus: in ſudore tn̄ vultus nr̄i edamus pa
nem ⁊ penam definitiōis antiq̄: nō corpis
tantū: ſꝫ ⁊ cordis labore pēdam⁹. Dicat ḡ
⁊ audiam⁹ ꝑabolas ⁊ ꝓpoſitões. Qua
ta: inq̄t: audiuim⁹ ⁊ cognouim⁹ ea:
⁊ patres noſtri narrauerūt nobis.
Dn̄s ſupius loquebat̃. Nā cui⁹ alteri⁹ v̇
ba credenda ſunt: Attēdite ppl̄s me⁹ legeꝫ
meā: Quid ē ḡ qd̄ nūc repente hō loq̄tur:
Jam enī hoīs v̇ba ſunt: quanta audiuim⁹
⁊ cognouim⁹ ea: ⁊ pr̄es nr̄i narrauerūt no
bis. Nimirū deus iā ex hoīs miſterio locu
turus: ſic ait apl̄s. An vultis experimentū
accipe eius qui in me loq̄tur chriſtus: ex ꝑ
ſona ſua ꝑmū v̇ba fieri voluit: ne v̇ba eius
loquēs hō ꝯtemneret̃ vt hō. Ita enī ſe ha
bent locutiões dei q̄ nobis inſinuant̃ ꝑ ſē
ſuꝫ corpis nr̄i: Creaturā ſubditaꝫ ope inui
ſibili creator mouet: non ei⁹ ſuba in aliq̄d
corꝑale ⁊ tꝑale cōuertitur: aut corꝑalibus
⁊ tꝑalib⁹ ſignis: ſiue ad oculos ſiue ad au
res ꝑtinētibus q̄ntū capere hoīes pn̄t: ſuaꝫ
faciūt innoteſcere volūtatē. Si enī angel⁹
vti pōt ethere: aere: nube: igne: ⁊ alia qua
libꝫ natura vel ſpecie corꝑali: ⁊ hō vultu:
lingua: manu: calamo: lr̄is: ſalijſue ſignifi
cantib⁹ rebus ad ſue mētis indicāda ſecre
ta. Poſtremo cū hō ſit: nūcios hoīes mit
tit: ⁊ dic̄ alij: vade: ⁊ vadit: ⁊ alij: veni: ⁊ ve
nit: ⁊ ſuo ſuo: fac hꝫ: ⁊ facit: Quanto maio
re ⁊ efficatiore ꝑtāte deus: cui dn̄o vniuer
ſa ſbiecta ſunt: ⁊ ip̄o angelo ⁊ homīe vtit̃:
vt qd̄ ei placet annūciet̃: Quāuis itaq̄ iā
hō dicat: quanta audiuim⁹ ⁊ cognouim⁹
ea: pr̄es nr̄i narrauerūt nobis: tn̄ tanq̄ dei
v̇ba: nō tāq̄ humanas fabulas audiam⁹.
Propt̃ hoc enī ꝑmiſſum ē: Attēdite popu
lus me⁹ legē meā: inclinate aurē veſtraꝫ in
v̇ba oris mei: Apiam in ꝑabol̄ os meum:
eloq̄r ꝓpoſitiões ab initio. Quanta ḡ au
diuim⁹ inq̄t ⁊ cogno uim⁹ ea: ⁊ pr̄es noſtri
narrauerūt nobis. Sic eſt audiuim⁹ et co
gnouim⁹: Quō: Audi filia ⁊ vide. Audita
enī ſunt in veteri teſtamēto q̄ cognoſcunt̃ i
nouo: audita cū ꝓphetaret̃: cognita cū im
pleret̃: vbi ꝓmiſſio reddit̃: n̄ fraudat̃ audi
tio. Et pr̄es nr̄i Moyſes ⁊ ꝓphete narra
uerūt nob̄. Nō ſunt ⁊ abſcōdita a fi

Alia lr̄a ⁊ occultata

lijs eorū: in generatiōe altera. Hec
eſt noſtra generatio: in q̄ nobis donata eſt
regeneratio. ⁊ Annūciantes laudes
dn̄i ⁊ ⁊ potentias eius: ⁊ mirabilia
ei⁹ q̄ fecit. Ordo v̇borū eſt: Et pr̄es nr̄i
narrauerūt nobiſ: annūciātes laudes dn̄i.
Laudat̃ dn̄s vt amet̃: Quid enī ſalubriuſ
amat̃: Et ſuſcitauit teſtimoniuꝫ in
Jacob: ⁊ legē poſuit in iſrl̄. Hoc eſt
initiū de quo ſupra dictū eſt. Eloq̄r ꝓpoſi
tiones ab initio. Initiū eſt ḡ vet⁹ teſtamen
tū: finis nouū. Timor enī ꝑualet i lege: Et
initiū ſapie timor dn̄i. Finis aūt leg̃ chri
ſtus ad iuſticiā om̄i credenti: quo donāte
diffundit̃ caritas in cordibus nr̄is ꝑ ſpm̄
ſanctum q̄ datus eſt nobis: ⁊ cōſummata
caritas foras mittit timorē: qm̄ nō ſine le
ge iuſticia dei manifeſtata ē: ſꝫ qm̄ teſtimo
nium hꝫ a lege ⁊ ꝓphetis: iō ſuſcitauit te
ſtimoniū in Jacob: ⁊ legē poſuit in iſrael.
Nā ⁊ illud qd̄ tāt̄ ſignīſ ⁊ pleno tātis ſigni
ficationib⁹ ope tabernaculū cōſtitutū eſt:
tabernaculū teſtimonij noīat̃: in quo erat
velamen ꝯ arcam legis: ſicut velamē ꝯ fa
ciem miniſtri legis: q2 in illa diſpenſatione
ꝑabole ⁊ ꝓpoſitiões erant. Ea q̄ppe q̄ p̄di
cabant̃ ⁊ faciebāt velatis ſignificatiōibus
condebant̃: ⁊ nō reuelatis manifeſtatiōib⁹
cernebant̃. Cū aūt tranſierit ad chriſtum:
ait apl̄s: auferet̃ velamē. Quotq̄t enī ſunt
ꝓmiſſiones dei in illo erāt. Quiſq̄s igitur
chriſto adheret: totū bonū qd̄ etiā in litte
ris legis nō intelligit hꝫ: quiſq̄s aūt ē alie
nus a chriſto: nec intelligit nec hꝫ. Suſci
tauit ḡ teſtimoniū in Jacob: ⁊ legē poſuit
in iſrl̄. More ſuo repetit. Nam qd̄ ē: ſuſci
tauit teſtimoniū: hꝫ eſt: legē poſuit: ⁊ qd̄ ē i
Jacob: hꝫ eſt in iſrl̄. Nā ſicut iſta duo noīa
ſunt hoīs vni⁹: ita lex ⁊ vetus teſtimonium
duo ſūt noīa rei vni⁹. Intereſt aliq̄d aīt q̄ſ
piaꝫ int̃ ſuſcitauit ⁊ poſuit. Ita ſane quē
admodū intereſt etiā int̃ Jacob ⁊ iſrl̄: n̄ q2
erāt hoīes duo: ſꝫ eadē duo noīa diuerſis
cauſis vni hoī ſūt impoſita. Jacob ꝓpter
ſupplantationē: qm̄ naſcēs tenuit plātaꝫ
fratris: Jſrl̄ aūt ꝓpter viſionē dei. Sic aliō
eſt ſuſcitauit: aliud poſuit. Nam ſuſcitauit
teſtimoniū q̄ntum exiſtimo dictū eſt: qd̄ il
lo aliq̄d ſuſcitatū eſt. Sine lege enī ait apo
ſtolus peccatū mortuum eſt: ego aūt viue
bam: aliq̄n ſine lege. Adueniēte aūt māda
to peccatū reuixit. Ecce qd̄ ſuſcitatū eſt ꝑ
teſtimoniū: qd̄ eſt lex: vt appareat qd̄ late
bat: ſic paulopoſt dicit: Sꝫ peccatū vt ap

Alia lr̄a ⁊ narrātes ⁊ virtutes

pareat peccatũ ꝑ bonũ mihi opatuꝫ ẽ mor
tem. Poſuit aũt legẽ: dictum ẽ tanq̃ꝫ iugũ
peccatorib⁹: vñ dr̃: Quia iuſto nõ ẽ lex po
ſita. Teſtimoniũ ẽ igit̃ inq̃ꝫtũ aliq̇d ꝓbat:
Lex aũt inq̃ꝫtũ iubet: cũ ſit vna eadẽq̃ꝫ reſ.
Quocirca ſicut lapis chriſtus: ſꝫ credenti-
bus in caput anguli: nõ credẽtibus aũt la
pis offenſiõis ⁊ petra ſcãdali: Ita teſtimo
nium legis eis q̇ lege nõ legitie vtunt̃: teſti
moniũ eſt quo ꝯuicant̃ puniendi pctõres.
His v̇o q̇ ea legitie vtunt̃ teſtimonium eſt
quo demõſtrat̃ ad quẽ liberãdi ꝯfugẽ de-
bent pctõres. In ei⁹ eni gr̃a ẽ iuſticia dei
teſtimoniũ hñs a lege ⁊ ꝓphetis q̃ iuſtifica
tur ipi⁹: quaꝫ q̇dã ignorantes ⁊ ſuã volen
tes ꝯſtituere: iuſticie dei non ſunt ſbiecti.
¶ Quãta: inq̇t: mãdauit p̃rib⁹ no-
ſtris nota facere ea filijs ſuis: vt co
gnoſcat generatio altera. ¶ Filij q̃
naſcẽt̃ ⁊ exurget: ⁊ narrabũt filijs
ſuis. ¶ Et ponãt in deo ſpem ſuã:
et nõ obliuiſcant̃ opa dei: et mãda
ta ei⁹ exquirãt. ¶ Ne fiãt ſicut p̃res
Alia lr̃a exaſperãs eoꝝ generatio praua ⁊ amaricãs.
¶ Generatio q̃ cor ſuũ non direxit:
et nõ eſt creditus cuꝫ deo ſpũs ei⁹.
Hec v̇ba indicãt duos quodãmõ ppl̃os:
alterũ ad vetus: alterũ ad nouũ teſtamen-
tum ꝑtinẽtẽ. Nam qd̕ ait: Quãta manda
uit p̃ribus nr̃is: nota facere ea ſuis filijs:
mãdata eos accepiſſe dixit: nota ea facere
filijs ſuis: nõ tñ eos agnouiſſe aut feciſſe: ſꝫ
ad hoc acceperũt ipi: vt cognoſcat genera
tio altera: ꝙ illa nõ cognouit. Filij q̃ naſcẽ
tur ⁊ exurgẽt. Nam illi q̇ nati ſunt: ⁊ nõ ex-
urrexerũt: qꝛ nõ ſurſum cor: ſꝫ in t̃ra pon⁹
habuerĩt. Cũ chriſto eni exurgit̃: vñ dictũ
eſt: Si exurrexiſtis cũ chriſto q̃ ſurſum ſũt
ſapite. Et narrent inq̇t filijs ſuis: vt ponãt
in deo ſpem ſuã. Ita eni nõ ſuã iuſticiaꝫ iu
ſti volũt cõſtituere: ſꝫ reuelant ad deũ viaꝫ
ſuã: ⁊ ſperãt in eũ: vt ipe faciat. Et nõ obli
uiſcant̃ opa dei magnificãdo ſcꝫ ⁊ tractan
do opa ſua tanq̃ꝫ ipi faciãt: cũ deus ſit qui
opat̃ in eis: q̇ bona opant̃ ⁊ velle ⁊ opera-
ri ꝓ bona volũtate: ⁊ mãdata ei⁹ exq̇rant.
Cũ iam ea didicerit: quõ exq̇rant? Quan-
ta eni inq̇t mandauit p̃rib⁹ nr̃is: nota face
re ea filijs ſuis: vt cognoſcat generatio al-
tera. Quid cognoſcant? Vtiq̃ꝫ mãdata q̃
mãdauit. Quõ ĝ adhuc exquirant: niſi qꝛ
ponẽdo in deo ſpem ſuã? Tũc mãdata ei⁹
exq̇rant: vt ab eis illo adiuuãte cõpleant̃.
Ne fiant ſicut p̃res eorũ generatio praua
⁊ amaricãſ: generatio q̃ cor ſuũ nõ direxit.
Et dicit quare: ꝯtinuo ſubiungẽdo: Et nõ
ẽ creditus cũ deo ſpũs eiuſ: id eſt qꝛ nõ ha
bebat fidẽ q̃ impetrat qd̕ lex imperat. Nã
eni cum ſpũ dei opante ſpũs hoĩs coopa-
tur: tunc qd̕ deus iuſſit implet̃: ⁊ hoc nõ fit
niſi credendo in eũ q̇ iuſtificat impiũ. Quaꝫ
fidem nõ habuit generatio praua ⁊ amari-
cans. Et ideo de illa dictũ eſt: Nõ ẽ credi-
tus cũ deo ſpũs eius. Multo eni ſꝫ expſſi⁹
dictũ eſt ad ſignificandã gr̃am dei: q̃ non
ſolũ opat̃ remiſſionẽ peccatoꝝ: ſꝫ etiam co
opanteꝫ ſibi facit hoĩs ſpũm: in ope bono
rũ factoꝝ: q̃ſi diceret: Nõ credidit deo ſpi
ritus ei⁹. Hoc eſt eni hr̃e cũ deo creditum
ſpũm: nõ credere ſpũm ſuũ poſſe facere ſi-
ne deo iuſticiã: ſꝫ cũ deo. Hoc eſt enim cre
dere in deũ: qd̕ vtiq̃ꝫ pluſ eſt q̃ꝫ credẽ deo.
Nã ⁊ homĩ cuilibꝫ plerũq̃ꝫ credenduꝫ eſt:
q̃ꝫuis in eũ nõ ſit credẽdũ. Hoc ẽ ĝ crede-
re in deũ: credẽdo adherere ad bñ coopã
dum: bona opante deo: qꝛ ſine me inq̇t ni-
hil poteſtis facẽ. Quid aũt plus hic apl̃s
dicere potuit q̃ꝫ ꝙ ait: Qui auteꝫ adheret
deo vnus ſpũs ẽ? Alioq̇n lex iſta teſtimo-
niũ ẽ quo damnet̃: nõ q̃ abſoluat̃ re⁹. Litte
ra eni ẽ minax q̃ ꝯuincat ꝑuaricatiões: nõ
ſpũs adiuuãs q̃ liberet ⁊ iuſtificet peccato
res. Generatio ĝ illa cui⁹ exemplũ cauen-
dum ẽ: iõ praua ⁊ amaricans fuit: qꝛ nõ ẽ
credit⁹ cũ deo ſpũs ei⁹: qꝛ ⁊ ſi aliqua credi
dit deo: nõ tñ credidit in deum: nõ ex fide
adheſit deo. vt ſanata a deo bñ coopareť
coopanti in ſe deo. Deniq̃ꝫ. ¶ Filij ef- Alia lr̃a
frem intẽdẽtes et mittẽtes arcus tarcum
cõuerſi ſunt ĩ die belli. ¶ Perſequẽtes
legẽ iuſticie: in legẽ iuſticie nõ ꝑuenerunt.
Quare? Quia nõ ex fide. Generatio eniꝫ
erat cui⁹ ſpũs cũ deo credit⁹ nõ eſt: ſꝫ tanq̃ꝫ
ex opibus: qꝛ non ſicut tetẽdit miſit arcus
qd̕ foris appareret tanq̃ꝫ in opib⁹ legis: ita
direxit ⁊ cor: vbi iuſt⁹ viuit ex fide: q̃ ꝑ di-
lectionẽ opat̃: q̃ inhereret̃ deo q̇ opat̃ ĩ ho
mine: ⁊ velle ⁊ opari ꝓ bõa volũtate. Naꝫ
q̇d eſt aliud tẽdere arcus ⁊ mittere ⁊ ꝯuer-
ti in die belli: niſi attẽdere ⁊ ꝓmittere ĩ die
auditiõis: ⁊ deſerere in die temptatiõis ar
mis q̃ſi ꝓludere: ⁊ ad horã certamis nolle
pugnare? Qd̕ ſane ait tẽdentes ⁊ mittẽtes
arc⁹: cũ debuiſſe dicere videat̃: tẽdẽtes ar
cus ⁊ mittẽtes ſagittas: nõ eni arc⁹ mittit̃:
ſꝫ ab arcu aliq̇d mittit̃. Aut illa locutio eſt
de q̃ ſupius diſſeruim⁹: vbi dictũ ẽ: Suſci
tauit teſtimoniuꝫ: qꝛ ſuſcitauit aliq̇d teſti-

monio. Ita ⁊ ħ mittẽtes arcus: qꝛ miſerũt
aliq̃d de arcubꝰ: aut obſcurus ordo ṽboꝝ
ẽ cũ ꝑtermiſſiõe ṽbi: qđ etiã tacitũ ſbaudi
endũ ẽ: vt iſte ordo ſit: Filij effrem tẽdẽtes
arcꝰ ⁊ mittẽtes: ⁊ ſubaudiat̃ ſagittas plenꝰ
vt ſit ſenſus: tẽdentes arcꝰ ⁊ mittẽtes ſagit
tas: qꝛ etiam ſi diceret: tẽdẽtes ⁊ mittentes
ſagittas: nõ vtiq; tẽdentes ſagittas intelli
gere deberemꝰ: ħ audito eo qđ dixit tendẽ
tes ſubaudire potiꝰ arcũ: q̃uis dictũ non
fuerit. Nõnulli ſane codices greci hñt di-
cunt: tendẽtes ⁊ mittẽtes arcubus: vt ſine
dubitatiõe ſubaudiamꝰ ſagittas. Qđ ṽo
ꝑ filios effrem vniuerſam illã generationẽ
amaricantem intelligi voluit: locutio eſt a
ꝑte totũ ſignificans. Et iđ fortaſſe electa ẽ
iſta ps ex q̃ totus ille ꝑplus ſignificaret̃: qꝛ
de his potiſſimũ boni aliq̃d expectandũ
fuit: qꝛ ex illo nati ſunt quẽ nepotẽ ſuũ Ja
cob: q̃uis a pr̃e eiꝰ tanq; minorẽ ad ſiniſtrã
ꝯſtitutũ: manu tñ dextera bñdixit: eumq;
maiori fratri arcana bñdictione ꝑpoſuit:
vt qđ ita ħ loco tribus illa culpat̃: nec ape
ruiſſe in ea qđ illa bñdictio ꝓmittebat oſtẽ
dit̃: ſatis itelligamꝰ qđ etiã tũc ex ṽbis pri
arche Jacob: lõge aliud figurabat̃ q̃ pru
dentia carnis expectat. Figurabat̃ enĩ q̃
futuri eſſent nouiſſimi q̃ erant p̃mi: ⁊ primi
futuri eſſent: q̃ erãt nouiſſimi: ꝑ ſaluatoris
aduentũ: de quo dictũ ẽ: Qui poſt me ve-
nit: añ me factꝰ ẽ. Sic Abel iuſtꝰ maiori p̃-
latus eſt fratri: ſic hiſmaeli Iſaac. ſic Eſau
ꝯgemino ſuo: ħ tñ p̃us nato ip̃o Jacob. ſic
Phares ⁊ ip̃e cõgemino ſuo: q̃ p̃us manũ
ex vtero miſerat ⁊ ceꝑat naſci: ⁊ iã naſcen-
do p̃ceſſit. ſic Dauid maioribꝰ p̃latus eſt
fratribꝰ: et ꝓpter qđ iſte oẽs atq; alie ſimi-
litudines nõ ſolũ dictoꝝ: ħ etiã factoꝝ pa-
rabole p̃ceſſerũt. Sic ꝑplo iudeoꝝ p̃latus
eſt ꝑpl's chriſtianus ꝓ quo redimẽdo quẽ-
admodum Abel a Cayn. ſic a iudeis occi
ſus ẽ chriſtus. Hoc figuratũ ẽ enĩ etiã cũ
Jacob decuſſat in porrectis manibꝰ dexte
ra tetigit effrem ad ſiniſtrã ꝯſtitutũ: eumq;
ꝑpoſuit manaſſe ad dexterã ꝯſtituto: quẽ
ſiniſtra ip̃e tangebat. Nam ſḿ carnẽ filij
effrem tendẽtes ⁊ mittẽtes arcus conuerſi
ſunt in die belli. Quid ſit aũt qđ ait: Con-
uerſi ſunt ĩ die belli: conſequẽtia docẽt: q̃-
bus id aptiſſime expoſuit. **Nõ cuſto-
dierũt: inq̃t: teſtamẽtũ dei: ⁊ ĩ lege
eiꝰ noluerũt ambulare.** Ecce q̃d eſt:
cõuerſi ſunt in die belli: nõ obſuauerunt
teſtamẽtũ dei. Ubi arcus tendentes ⁊ mit
tẽtes: Etiã ꝓmiſſionis ꝓmptiſſime ṽba ꝓ
tulerũt dicẽtes. Quecũq; locutꝰ ẽ dñs deꝰ
nr̃ audiemꝰ ⁊ faciemꝰ. Conuerſi ſunt ĩ die
belli: qꝛ ꝓmiſſionẽ obediẽtie nõ auditio: ħ
temptatio ꝓbat. Cuiꝰ ẽ aũt cũ deo ſpiritus
creditꝰ: fidelẽ tenet deum: q̃ nõ eum ꝑmit-
tat temptari ſup id qđ põt: ſed faciet cum
temptatiõe etiã exitũ: vt poſſit ſuſtinere: ne
ꝯuertat̃ in die belli. Qui aũt in ſe nõ ĩ deo
gloriat̃: q̃tũuis iactet pollicitationẽ virtu
tis ſue: velut tendẽs ⁊ mittẽs arcꝰ: cõuerti
tur ĩ die belli. Quia enĩ nõ eſt creditꝰ cum
deo ſpũs eiꝰ: nõ eſt cũ illo etiã ſpũs dei: et
ſicut ſcriptũ ẽ: qꝛ non credidit: ideo non ꝓ
teget̃. Qđ ṽo cũ dixiſſet: nõ obſuauerunt
teſtamẽtũ dei: adiecit ⁊ ait: Et in lege eius
noluerunt ambulare: repetitio eſt ſupioris
ſentẽtie cũ q̃dam eius expoſitiõe. Hoc enĩ
appellauit legẽ eius: qđ ſupra dixerat teſta
mentũ dei: vt illud qđ dictũ ẽ: nõ cuſtodie
rũt: repetitũ intelligat̃: in eo ambulare no-
luerũt. Sed cũ breuius dici poſſit: Et in le
ge eius noluerũt ambulare: non nihil mihi
videt̃ in hoc ṽbo nos q̃rere voluiſſe quod
maluit dicere: noluerũt ambulare: q̃ non
ambulauerũt. Poterat enĩ putari lex ope
rum q̃ſi ſufficere ad iuſtificationẽ cũ ea q̃ ꝑ
cipiunt̃ forinſecus fiũt ab eis hoibꝰ q̃ mal
lent nõ p̃cipi q̃ nõ ex corde faciunt: ⁊ tñ fa-
ciũt: ac ꝑ hoc q̃ſi vident̃ ambulare in lege
dei: ħ nolunt ambulare: nõ enim ex corde
faciũt. Ex corde aũt nullo mõ fieri poteſt:
qđ formidine fit pene: nõ dilectiõe iuſticie.
Nam q̃tũ attinet ad facta q̃ forinſecꝰ agũ
tur: ⁊ q̃ timent penã: ⁊ q̃ amãt iuſticiã: non
furant̃: ⁊ ideo pares ſunt manu: diſpares
corde: pares oꝑe: diſpares volũtate. Jđo
illi ſic notati ſunt. Generatio inq̃t que non
direxit cor ſuũ. Nõ dictũ ẽ oꝑa: ħ cor. Re
cto enĩ corde: recta ſunt oꝑa. Cũ autẽ cor
rectũ nõ eſt: oꝑa recta nõ ſunt: etiã ſi recta
videant̃. Et vñ cor nõ direxit praua gene
ratio: ſatꝭ apparuit cũ ait: Et nõ ẽ creditus
cũ deo ſpũs eius. Rectus eſt enĩ deꝰ: et iđ
recte adherẽs: tanq; incommutabili regule
põt fieri rectũ qđ in ſe fuit prauũ cor hoīs.
Ut aũt cor cũ illo ſit: ⁊ ꝑ ħ rectũ eẽ poſſit:
accedit̃ ad eũ: nõ pede: ħ fide. Jđ dr̃ etiã
ĩ ep̃la ad Hebreos de illa ip̃a generatiõe p̃
ua ⁊ amaricãte: Nõ ꝓfuit ſmo auditꝰ ill':
nõ ꝯtemꝑans fidei eoꝝ q̃ obaudiert̃. Uo-
lũtas igit̃ q̃ ẽ in corde recto: parat̃ a dño ſi
de p̃cedente: q̃ acceditur ad deũ directũ: vt
cor fiat rectũ. Que fides ꝑueniẽte ⁊ vocã-
te: miſcđia dei: ꝑ obedientiã ſuſcitat̃: ⁊ ap
plicare incipit ad deũ cor vt dirigat̃: ⁊ q̃-

to magis magiſq dirigit: tãto magis videt
quod nõ videbat: ꝛ valet qð nõ valebat.
Hoc nõ fecerat Symõ: cui Petrus apl's
dixit: Nõ ẽ tibi ps neq ſors i hac fide: coꝛ
eni tuũ nõ eſt rectũ cũ deo. Ibi eni oſtẽdit
qꝛ nõ põt eſſe rectum ſine deo: vt incipiãt
hoĩes nõ tãq ſerui ſub lege ambulare metu
entes: ſ; in lege tãq filij volẽtes: in qua illi
ambulare noluerũt: ꝛ ſub illa rei remanſe-
rũt. Hãc eni volũtatẽ non timoꝛ: ſ; caritas
h; : q̃ diffundit in coꝛdib⁹ credentiũ p ſpm̃
ſanctu;: q̃bus dr̃. Gr̃a ſalui facti eſtis p fi-
dem: ꝛ h nõ ex vob: ſ; dei donu; eſt: non ex
opibus: ne forte q̃s extollat: ipſius eni ſum⁹
figmentũ creati in chriſto Ieſu in operib⁹
bonis q̃ p̃parauit de⁹: vt in ill' ambulemus:
nõ quõ iſti q̃ i lege ei⁹: noluerũt ambulare
nõ credẽdo in eũ: neq viã ſuam reuelãdo
ad eũ: ꝛ ſperãdo in eũ vt ipe faceret. Et
oblití ſunt bñficioꝝ ei⁹: ꝛ mirabi-
lium ei⁹ q̃ oſtẽdit eis. Coꝛã patri-
bus eoꝝ q̃ fecit mirabilia. Quid ſit
hoc: nõ eſt queſtio negligẽda. De ipſis pa-
trib⁹ pauloante dicebat: qð fuiſſet genera
tio praua ꝛ amaricãs. Ne fiãt inq̃t ſic pr̃es
eoꝝ generatio praua ꝛ amaricans: genera
tio q̃ non direxit coꝛ ſuũ: ꝛ cetera q̃ adhuc
de ipa generatõe dicunt: cui⁹ imitatiõ; eo
mõ cauẽdã p̃cepit alteri generationi vt po
nant in deo ſpẽ ſuã: ꝛ nõ obliuiſcãt opera
dei: ꝛ mãdata ei⁹ exq̃rant: de q̃b⁹ iam ſatis
qð viſum ẽ diſſeruimus. Quid ſibi g̃ vult
cũ de ipa generatiõe praua loq̃t: quõ obli
ti ſunt bñficioꝝ dei ꝛ mirabiliũ ei⁹ q̃ oſten
dit eis qð addidit ꝛ dicit: Coꝛã prib⁹ eoꝝ
q̃ fecit mirabilia: Quib⁹ prĩbus cũ ipi ſint
pr̃es eoꝝ: quoꝝ nõ vult eſſe poſteros ſimi
les: Si illos acceperim⁹ ex q̃b⁹ iſti nati erãt
velut Abraã Iſaac ꝛ Iacob: iam olĩ doꝛ-
mierũt: qñ mirabilia deus oñdit i egypto.
Sequit eni. In terra egypti i campo
thaneos. Ubi dicit oſtẽdiſſe deũ iſtui mi
rabilia coꝛã prib⁹ eoꝝ. An forte ſpũ p̃ſen-
tes erãt: qꝛ de ipis dñs i euãgelio ait: Oẽs
eni illi viuũt: An accõmodati⁹ accipimus
pr̃es Moyſen ꝛ Aarõ: alioſq ſeniores q̃
cõmemoꝛant in eadẽ ſcriptura etiam ſpm̃
accepiſſe: vñ accepat ꝛ Moyſes: vt eũ ad
iuuarẽt ad eũdẽ p̃p̃lm regendũ ac ferẽdũ:
Cur eni nõ appellarent pr̃es: Nõ ſic deus
pr̃ vnus ẽ q̃ regenerat ſpũ ſctõ q̃s facit fili-
os ad eternã hereditatẽ: ſ; honoꝛis gr̃a p-
pter etatẽ curãq pietatis: Sic Paulus ſe
nioꝛ dicit: vt nõ ↄfundã vos h ſcribo: ſed

vt filios meos cariſſimos moneo: cum ſci-
ret vtiq a dño dictũ: Ne vobis dicatis pa-
trem in terra: vn⁹ eſt eni pr̃ vr̃ de⁹. Qð nõ
ideo dictũ ẽ: vt h vocabulũ honoꝛis hũa-
ni de loquẽdi ↄſuetudine tolleret: ſ; ne gr̃a
dei q̃ in etnã vitã regeneramur nature: vel
ptãti: vl' etiã ſanctitati cuiuſq hoĩs tribue
ret. Idõ cũ diceret: Ego vos genui: p̃dixit
in chriſto ꝛ p euãgelium: ne ipi⁹ putaret eẽ
qð dei ẽ. Ergo illa generatio praua ꝛ ama
ricãs obliti ſunt bñficioꝝ dei: ꝛ mirabiliu;
eius q̃ oñdit eis coꝛã prib⁹ eoꝝ q̃ fecit mi-
rabilia in terra egypti: in campo thaneos.
Et incipit eadẽ mirabilia cõmemoꝛãdo re
texere: que ſi pabole ſunt ꝛ p̃poſitiões: p-
fecto ad aliq̃d cõparandũ referẽde ſunt: nec
oculũ intentiõis debem⁹ auferre ab eo qð
pſalm⁹ ipe intẽdit oſtẽdere: hũc eſſe fructũ
oim̃ q̃ dicunt: ꝛ q̃re admoniti ſum⁹ h inten
tiſſime audire deo dicente. Attẽdite p̃p̃lus
me⁹ legẽ meã: inclinate aurẽ vr̃az in verba
oris mei: Ut ponam⁹ i deo ſpe; nr̃az: ꝛ ne
obliuiſcamur opeꝝ dei: ꝛ mandata ei⁹ exq̃
ram⁹: ne fiam⁹ ſicut illi pr̃es generatio illa
praua ꝛ amaricãs: generatio q̃ coꝛ non di
rexit ſuũ: ꝛ nõ ẽ credit⁹ cũ deo ſpũs ei⁹. Ad
h g̃ oĩa referẽda ſunt: ac p h q̃cq̃d figurata
actione iſta ſignificãt: ita fieri pñt ſpũalit' i
hoĩe: vl' gratia dei ſi bona ſunt: vel iudicio
dei ſi mala ſunt. Sicut illa bõa facta ſunt i
iſraelitas: vl' mala ꝛ in ipos ꝛ in eoꝝ inimi-
cos: q̃ ſi nõ obliuiſcamur: ſ; in deo ſpe; no
ſtrã ponam⁹: nec ipius gratie ſim⁹ ingrati:
eũq timeam⁹: nõ timoꝛe ſerui q̃ ſola mala
coꝛpalia formidãt: ſ; timoꝛe caſto pmanen
te in ſeculũ ſeculi: qui timoꝛ magnã eſſe iu-
dicat penã p̃uari luce iuſticie: ñ efficiamur
tãq patres illi generatio p̃ua ꝛ amaricãs.
Terra itaq egypti in figura intelligẽda eſt
h⁹ ſeculi: cãpus thaneos planicies ẽ man-
dati humil'. Nã mãdatũ hũile interp̃tatur
thanis. In h g̃ ſeculo hũilitatis mandatũ
ſuſcipiamus: vt in alio ſeculo exaltatiõem
quã p̃miſit q̃ p̃pter nos h factus ẽ humilis
accipe mereamur. †Nam q̃ †dirupit
mare ꝛ †traiecit eos: †ſtatuit aq̃s q̃
ſi in †vtres. Ut ſic ſtaret vnda tãq fuiſſ;
iclusa: põt p ſuã gr̃az cohibere fluida ꝛ la-
bẽtia ↄcupiaꝝ carnaliũ: cũ huic ſeculo re-
nunciat: vt tãq inimicis pctĩs oib⁹ p̃dele
tis fidelium p̃p̃lus p ſacramẽtũ baptiſma-
tis traijciatur. †Qui eduxit eos i nu
be diei: ꝛ tota nocte i illumiatione
ignis. Põt etia; ſpũalit' dirigere itinera:

Alia lr̃a †coꝛum

Alia lr̃a †non habet †interrupit †eduxit †et †vtre

Alia lr̃a †Et eduxit

ſi ad eum clamet fides: itinera mea dirige
ſm ṽbū tuū. De quo alibi dr̄. Ipſe enim re
ctos faciet curſus tuos: ⁊ itinera tua in pa
ce ꝑducet ꝑ Jeſum chriſtū dn̄m nr̄m: Cu
ius in h̄ ſeculo tāq̄ȝ in die sacr̄m manifeſta
tū eſt in carne velut in nube: in iudicio ṽo
tāq̄ȝ in terrore nocturno: quia tunc erit ma
gna tribulatio ſeculi tanq̄ȝ ignis: ⁊ lucebit
Alia lr̄a
iuſtis: ⁊ ardebit iniuſtis. Qui† diru
†Inrupit pe
pit in deſerto petraȝ: ⁊ adaquauit
traȝ in heremo
eos† ſicut in abyſſo multa. Et edu
†velut
xit aquā de petra: ⁊ deduxit tanq̄ȝ
flumina aquas. Pōt vtiq̄ȝ ſitiētis fidei
donū ſpūſſancti: q̄ȝ illa res geſta ſpūalir̄ ſi
nificabat infundere de ſpirituali ſequēte pe
tra qđ eſt chriſtus: q̄ ſtabat ⁊ clamabat. Si
q̄s ſitit veniat ad me: ⁊ q̄ biberit de aq̄ quā
ego dabo: flumina aq̄ viue fluent de ventre
eius: hoc eni dicebat ſicut in euangelio le
gitur de ſpū quem accepturi erant creden
tes in eū. Ad queȝ velut ṽga lignū paſſio
nis acceſſit: vt emanaret credētib⁹ grā. Et
tñ illi tanq̄ȝ generatio praua ⁊ amaricās.
Alia lr̄a
Appoſuerunt† adhuc peccare ei.
†Et
Id eſt non credere. Nā h̄ eſt pctm̄ de quo
arguit ſpūs mundum: ſicut dn̄s dicit: De
Alia lr̄a
pctō q̄dē: q̄ nō crediderunt in me. Et ex
†in iraȝ excita-
acerbauerūt altiſſimuȝ in ſiccitate.
uerūt excelſuȝ.
Qđ alij codices hn̄t: in inaquoſo. Qđ
de greco ē expſſius: nec aliud q̄ȝ ſiccitateȝ
ſigt. Utrū i alia heremi ſiccitate an poti⁹ i
ſua: Q̄ licet bibiſſent de petra: nō vētres:
ſ mentes aridas habebāt: nulla virētes fe
cunditate iuſticie: in q̄ ſiccitate magis fide
liter deo ſupplices eſſe debuerāt: vt qui ſa
nitatē donauerat faucib⁹: eq̄tatem dona
ret ⁊ morib⁹. Ad eū q̄ppe fidel̄ aīa clamat:
Oculi mei videāt eq̄tatē. Et tēptaue
runt deū in cordibus ſuis: vt pete
ret eſcas aīab⁹ ſuis. Aliđ ē petere cre
dēdo: aliud temptādo. Deniq̄ȝ ſequitur.
Alia lr̄a
Et† detraxerūt de deo: ⁊ dixerūt:
†male locuti
nunq̄d poterit de⁹ pare mēſam in
ſunt
deſto: Qm̄ pcuſſit petrā ⁊ fluxe
rūt aque: ⁊ torrētes inundauerūt.
Nunq̄d ⁊ panem poterit dare: aut
pare mēſam pplo ſuo: Nō credentes
q̄ petierūt eſcas aīab⁹ ſuis. Non ſic aplus
Jacob⁹ eſcā mentis p̄cepit poſtulari: ſed
a credētib⁹ eā peti admonet: nō temptanti
bus atq̄ȝ detrahētib⁹ deo. Si q̄s aūt vr̄m i
q̄t indiget ſapiā: poſtulet a deo: q̄ dat oīb⁹
affluenr̄: ⁊ nō iproperat ⁊ dabir̄ ei: poſtu
let aūt in fide nihil heſitās. Hāc fidem nō
habebat generatio q̄ cor nō direxit ſuuȝ: ⁊

nō erat credit⁹ cū deo ſpūs eius. †Pro
Alia lr̄a
pter hoc audiuit dn̄s ⁊ diſtulit: ⁊
†Ideo
ignis accenſus eſt in Jacob: ⁊ ira
aſcendit in iſrl̄. Expoſuit q̄d ignem di
xerit. Irā q̄ppe appellauit ignē: q̄ȝ q̄ȝ mltos
ꝑpe etiam ignis accenderit. Quid ḡ ē qđ
ait: Audiuit dn̄s ⁊ diſtulit: An diſtulit eos
introducere in terrā ꝓmiſſionis q̄ ducebā
tur: qđ intra paucos dies fieri poterat: Sȝ
ꝓpter pctā in heremo ſuerāt ꝯterēdi: vbi ⁊
ꝯtriti ſunt ꝑ q̄draginta annos. Qđ ſi ita ē:
diſtulit ḡ pplm̄: nō iſtos ipos q̄ temptātes
detrahebant deo: Nā oēs in heremo per
ierūt: ⁊ filij eorū in terrā ꝓmiſſiōis ingreſſi
ſunt. An diſtulit penā vt p̄us ſatiaret etiaȝ
infidelē ꝯcupiam: ne ꝓpterea putaret̄ ira
tus: q̄ h̄ ab illo licet tēptantes ⁊ detrahen
tes petebāt qđ facere nō poſſz: Audiuit ḡ
⁊ diſtulit vindicare: ⁊ poſtea q̄ȝ fecit qđ eū
illi facere nō poſſe putauerūt: ita ira aſcen
dit in iſrl̄. Deniq̄ȝ vtrūq̄ȝ breuir̄ poſitum:
deinceps apte ordinē narratiōis exequir̄.
Quia nō crediderūt in deo: nec
ſperauerūt in ſalutare ei⁹. Nā cū di
xiſſet: ⁊ q̄re ignis accēſus ē in Jacob: ⁊ ira
aſcēdit in iſrl̄: id ē q̄ nō crediderūt in deo:
nec ſperauerūt in ſalutare ei⁹: ꝯtinuo ſub
ñciēs q̄ȝ euidētius bn̄ficijs ingti fuerunt.
Et mādauit: inq̄t: nubib⁹ deſuper
⁊ ianuas celi apuit. Et pluit illis
māna ad mādūcandū: ⁊ panē celi
dedit eis. Panem angeloꝝ mā
Alia lr̄a
ducauit homo: cibaria miſit eis in
†abundan
†abūdantiā. Tranſtulit auſtrū de
celo: ⁊ induxit i virtute ſua africū.
Et pluit ſup eos ſicut puluerē car
nes: ⁊ ſicut arenam maris volati
lia pēnata. Et ceciderūt in medio
caſtroꝝ: circa tabernacula eorum.
Et mādūcauerunt ⁊ ſaturati ſunt
nimis: ⁊ deſideriū eorum attulit
Alia lr̄a
eis: nō ſūt† priuati a deſiderio ſuo.
†fraudati
Ecce q̄re diſtulerat. Quid aūt diſtulerat
Alia lr̄a
audiamus. Adhuc† eſca erat in ore
†eſce eoꝝ
ipoꝝ: ⁊ ira dei aſcēdit† in eos. Ec
†ſuper
ce q̄d diſtulerat. Prius eni diſtulit: ⁊ po
ſtea ignis accēſus ē i Jacob: ⁊ ira aſcēdit i
iſrl̄. Diſtulerat ḡ vt p̄us faceret qđ eū facē
nō poſſe crediderāt: deinde infert qđ eos
pati oportebat. Naȝ ſi ponerēt i deo ſpem
ſuā: nō ſolū eis illa deſideria carnis: ſ etiā
ſpūs iplerent̄. Qui eni mādauit nubib⁹ de
ſup: ⁊ ianuas celi apuit: ⁊ pluit ill̄ māna ad
mādūcādū: ⁊ panē celi dedit eis: vt panē
āgeloꝝ mādūcarȝ hō: q̄ cibaria miſit eis i

abūdantia: vt ſatiaret incredulos: non eſt
inefficax dare credentib⁹ verꝫ ipm̄ de celo
panem: quē manna ſignificabat: q̄ vere ci
bus eſt angeloꝝ: q̄s dei v̄bū incorruptibi
le incorruptibilit̄ paſcit: qđ vt manduca-
ret hō caro factū ē: ꝛ habitauit i nob. Ipſe
enī panis p̄ nubes euāgelicas vniuerſo or
bi pluit: ꝛ aptis p̄dicatorū cordib⁹ tanq̄ ce
leſtibus ianuiſ: nō murmurāti ꝛ temptanti
ſynagoge: ſ̄ credēti ꝛ in illo ſpem ponenti
eccl̄ie p̄dicat̄. Qui trāſtulit auſtrū de celo
ꝛ induxit in v̄tute ſua africū: ꝛ pluit ſup il-
los ſicut puluerē carnes: ꝛ ſicut arenā ma-
ris volatilia pennata: Et ceciderūt in me-
dio caſtrorū ipoꝝ circa tabernacula eorū:
ꝛ māducauerūt ꝛ ſaturati ſunt nimis: ꝛ de-
ſideriū eorū attulit eis: nec ſunt p̄uati a de
ſiderio ſuo. Poſt ꝛ nō temptantiū: ſ̄ credē
tium p̄uulā fidē: carne editis vocū ſignis:
ꝛ p̄ aerē tranſcurrētibus tanq̄ volatilibus
paſcere: nō tn̄ ab aquilone venientib⁹: vbi
frigus ꝛ caligo p̄ualet: id eſt eloquentia q̄
huic ſeculo placet: ſ̄ transferēdo auſtrū de
celo: Quo niſi ad terras: vt qui in fide ſūt
p̄uuli: audiendo terreſtria: nutriant̄ ad ca
pienda celeſtia? Si enī terreſtria inq̄t dixi
vobis ꝛ nō credidiſtis: quō ſi celeſtia dixe
ro vobis credetis? Trāſlatus enī erat ille
de celo quodāmō vbi mēte exceſſerat deo
vt temp̄ans eis eſſꝫ q̄bus dicebat: Nō po
tui vobis loqui q̄ſi ſp̄ualib⁹: ſed q̄ſi carna-
libus. Ibi enī audierat ineffabilia v̄ba: q̄ i
terra illi nō licebat loq̄ p̄ verba ſonātia q̄-
ſi p̄ volatilia pennata. Et inducēdo in v̄tu
te ſua africum: h̄ eſt p̄ ventos meridianos
feruētes ꝛ lucentes p̄dicantiū ſp̄ūs: ꝛ hoc
in v̄tute ſua: ne ſibi tribuat africus qđ ha-
bet ex deo. Veniūt aūt vltro iſti venti ad
hoīes: ꝛ apportāt eis v̄ba diuinitus miſſa:
vt in ſuis ſedibus ꝛ circa tabernacula ſua
colligāt eiuſmodi volatilia: ꝛ adoret vnuſ
quiſq̄ dn̄m de loco ſuo oēs inſule gētiuꝫ.
Sꝫ infidelib⁹ tanq̄ praue ꝛ amaricanti ge
nerationi cū adhuc eſca eſſet i ore ipoꝝ ira
dei aſcēdit in eos. Et occidit i pluri
mis eorū. Hoc eſt plurimos eorū: vel ſi
cut nōnulli codices hn̄t. Pingues eo-
rum. Qđ q̄dem in grecis quos habuim⁹
nō inuenim⁹: ſ̄ ſi hoc eſt verius: q̄d aliō in
telligendi ſunt pingues eorū: niſi in ſuper
bia p̄ualētes. De q̄b⁹ dr̄: Prodiit q̄ſi ex
adipe iniq̄tas eorū. Et electos iſrl̄ im-
pediuit. Erant illic etiā electi: quorum fi
dei nō contemp̄abatur generatio praua ꝛ
amaricās. Impediti ſunt aūt: ne aliq̄d eis
p̄deſſent: q̄bus paterno affectu ꝯſulere cu
piebāt. Quib⁹ enī de⁹ iraſcit̄: q̄d miſcđia
ꝯfert̄ humana? An poti⁹ ſic cū eis cōpedi-
tos etiā electos intelligi voluit: vt q̄ mente
ꝛ vita diſcernebant̄ ad exemplū: non iuſti
cie tantū: ſ̄ etiam patiē cuꝫ ill' moleſtias ſu
ſtinerent? Nam ſanctos cū peccatoribus
nō ob aliam forſitan cauſam etiā captiuos
ductos eſſe didicimus: q̄m in grecis co-
dicib⁹ nō αναποδισεν qđ eſt impediuit: ſ̄
συνεποδισεν legim⁹: qđ eſt poti⁹ cōpedi-
uit. Sꝫ generatio p̄ua ꝛ amaricās. In
oībus hiſ peccauerūt adhuc: ꝛ nō
crediderūt in mirabilib⁹ ei⁹. Et
defecerunt in vanitate dies eoꝝ.
Cum poſſent ſi crederēt dies in veritate ſi
ne defectu habere apud eū: cui dictuꝫ eſt:
Anni tui non deficiēt. Defecerūt ergo in vani
tate dies eorū. Et anni eorū cū feſtia-
tione. Feſtinat̄ q̄ppe tota vita mortaliuꝫ:
ꝛ que videt̄ p̄lirioꝛ: vapoꝛ eſt aliquanto
diuturnioꝛ. Verum cum occideret Alia lr̄a non habet
eos querebāt eum. Non p̄pt̄ eternaꝫ
vitam: ſ̄ vaporem citius finire metuētes.
Querebant ergo eū nō vtiq̄ hi quos occide-
rat: ſed q̄ exemplo eoꝝ occidi timebant.
Sic autem de illis ſcriptura locuta eſt tan
q̄ hi deum quererēt qui occidebant̄: quia
vnus populus erat: tanq̄ de vno corpore
dicitur. Et reuertebantur ꝛ dilucu-
lo veniebāt ad eum. Et rememo- Alia lr̄a quia
rati ſunt q̄m deus eſt adiutoꝛ eorū
ꝛ deus excelſus redemptoꝛ eorū ē.
Sed hoc totū p̄pter acq̄renda tp̄alia bo-
